CAELVM EXQVILINVM

AMORIS NIVEI SEDES

SIVE

DE NIVIBVS AVGVSTIS

SOLVTA, ET VINCTA PEDIBVS ORATIO

Habita in Ecclesia S. Mariæ in Porticu in Campitello

A VINCENTIO BELLINZANIO
ET IO: FRANCISCO MARRACCIO
LVCENSIBVS
Congregationis B. Mariæ ad Niues Sodalibus

AD

Eminentiss. & Reuerendiss. Principem

MARTIVM GINNETTVM

S. R. E. Card Amplissimum.



Romæ, Typis Ignatij de Lazaris 1662.

Superiorum Permissu.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
MARTIO GINNETTO
S. R. E. CARDINALI
VINCENTIVS BELLINZANIVS
ET
IO: FRANCISCVS MARRACCIVS P. F.



EXquilinum Cœlum, in quo Leonis flammæ cum Virginis Niuibus, Amore ſequeſtro, fœderantur; Te, Princeps Eminentiſſime, ſuum ambit, ac prenſat Atlantem. Te, inquam, candidiſsimum Purpuratum, qui Niueam animi ſinceritatem Purpuræ ardore non minuis, ſed foues: vt in Te (quod rariſſimum eſt)

Bene conueniant, & in vna ſede morentur
Maieſtas, & amor.

 Id

Id nos fecit audaciores, quò Tibi rudis adhuc, malèque culti ingenij noſtri opuſculũ dicatum ſiſteremus. Qualecunque tandem illud ſit; Cœlum, Amorem, Candorem fronte præfert. Si non res ipſas, nomina ſaltẽ Te digna exhibemus. Neque verò eſt, quòd Roſis tuis ab æſtiui Leonis ardoribus in Cœlo timeas Exquilino; vbi Virgo perpetuis Niuibus illius calores ità moderatur, vt fouere, non adurere flores poſſint. Et fortaſſè Roſa illa, quæ profani Numinis ſanguine reſperſa, extraneum fertur contraxiſſe ruborem: Virginearum Niuium attactu, natiuum candorem recuperabit.

ORA-



ORATIO.



D montem Montium Apicem, Terrarum fastigium, Cœlis proximum, cœlum nouum, minus fortassè firmis, quàm Dædalæis innixa pennis ignara viæ tendit Oratio N.N. Nec tamen illa casum veretur Icarium, quòd non ad flammas, sed ad Niues itineris sui certissimum signum destinauerit. Vestræ solummodò benignitatis, & attentionis auram expectat, qua sese à terrena humilitate subleuare, alasque felicissimo omine in superas Exquilini-Collis oras liceat explicare. Quanquàm istam mihi iam pridèm persensisse videtur, tanto ad amœnissimas illas sedes impetu rapitur, vbi inter auspicatos augustarum Niuium candores Augustior Virgo præsentissimo semper numine adesse comprobatur. Atqui aut ego nimis lynceus sum, aut nimis cæcutio, Montem ipsum videre mihi iam videor, & profectò video; en Testes adsunt ab omni fraude alienæ sincerissimæ Niues. Salue felicitatis emporium refertissimum, salue miraculorum Ager fœcundissime, Mons Exquiline, salue: peregrinantium de more angusto, humilique habitu succincta te supplex nostra veneratur Oratio, & inter gratulantium tibi totius Orbis Montium cateruas ad tuum culmen, lacteum Cœli circulum, vel Cœlum, vt meliùs dicam, niueum audaci quadam

 pie-

pietate compulſa accedere non reformidat. Non enim immanes hîc portentoſi Leonis rugitus, non triſtes Scorpij ferientis Aculei, non venenatæ minitabundi Chironis ſagittæ terrorem propiùs pedem admouentibus incutiunt; ſed vnica Virgo ſignum, tàm Cœlis magnum, quàm terris amabile admirabili, prorsùsque diuina benignitate allicit, ad ſeſeque compellit, quæ mortalium ſceleribus offenſa non humanas, vt olim Aſtræa, Regiones deſeruit; ſed hominum potiùs miſerata caſus è ſupremis ſedibus inter candidas Niues delapſa eſt, vt aureum ſæculum Orbi noſtro ferreum iam diù ſuſtinenti, faſtidientique reſtitueret. An non ideò temeratum, fœdumque ſolum Niuibus obduxiſſe videtur, vt aureis imbribus excipiendis aptius euaderet? Quanquàm nullum ego aurum Mariana Niue purius, aut pretioſius reperiri poſſe exiſtimo, quippè è Theſauris illis deprompta, quorum ſe Deus ipſe Clauigerum ſacris in litteris, cuſtodemque fatetur. Aureum Terris olim naſcentibus ſæculum congenitum fuerit: Exquilino ſanè Cœlo adhuc infanti lactea dulciùs Aetas ſapit, Niuea iucundiùs tempora arrident. Agite verò quid lætum, quid felix, quid diuinum in hoc Cœlo non apparet? nonne felicitati, fortunæque ipſi natum, deſtinatamque meritò cuique eſſe videatur? Ex hiſtoriarum certè monimentis accepimus, antiquos Romani Nominis, Imperijque Propagatores eodem in loco Fortunæ Templum ſtatuiſſe, vt indè fortaſsè latinæ felicitati excubias perennes haberet; vel etiam quòd iàm tùm Dea illa, cui ad æthereas plagas aſpiranti nullus vnquàm in Terris locus arriſerat, nouo hoc Cœlo comperto, ſuam ibi Rotam Aheneo

Cla-

Clauo figere, æternasque ſedes erigere conſtituerit. Et proculdubio hoc vno in Monte Fortuna fortuita non fuit; hìc tantummodò conſuetas vices ignorauit; hìc ſe fortunatiſsimè morari poſſe cognouit; vt ouidianum illud de ea jàm ſit abolendum.

Et manet in nullo firma, tenaxque loco.

Quid mihi nunc ſuum Macedonia Olympum copioſiſsimam fabularum officinam, ac poeticis ſolùm commentis inſignem, vanis ad Cœlum laudibus extollat? Excedit ille nubes; at maiorem ſuam ducit Exquilinus felicitatem ijſdem nubibus ſubeſſe, vt indè Virgineas poſsit niues excipere. Sublimi, elatoque iugo adeò ſursũ ille protenditur, vt loci Accolæ nimia quadam aſsẽtatione Cœlum ipsũ non vereantur appellare. At verè etiam, iurèque appellent. Cur enim ſi ſtellatos Orbes Cœli montes fatidico licuit Regi nuncupare; nobis montes ipſos Terræ Cœlos vocare denegetur? Habeat ſuam Cynthus Lunam, Martem Rhodope, Cyllene Mercurium, ſuum iactet Ida Iouem, Venerem Cithæron, Leucas Saturnum, Solem ipſum Parnaſſus; fabuloſa Numina, Vagorum tantummodò Aſtrorum nomina. At verò Exquilini Coeli Primatum omnes agnoſcant, ſeque eodem minores fateantur, atque in illud non vnum, ſed omnia ſydera ad Virgineum Caput exornandum certatìm conueniant. Vel ſi idem, vtpotè nimis excelſum, attingere nequeant, niueo ſolo defixa ſacris Diuæ pedibus humiliori obſequio famulentur. Addent N. N. addent pedes illi nitorem, niues illæ candorem ſyderibus ipſis: ita vt Cœlum ſuum Exquilini Cœli Coloniam deducere poſſe ſingularis beneficij loco ſint habitura.

At-

Atqui miror, etiamsi vllum tam sublime sydus reperiatur, quod ad Virginei huius Cœli Verticem possit ascendere; Empyreum scilicet, flammatumque omninò censendum est, quod tamèn suas flammas in Niues, candidissimæ Virgini obsequendo, nouo miraculo commutauerit. Salue iterum, seù potius vale fortunatissime Montium, Mons Exquiline, Augustissimum Cœlum, pulcherrimum ingeniosæ Virginis opus, cui iam tum illa prælusit, opinor, cum Deo Optimo Maximo Cœlos præparante, in Orbe Terrarum ludens aderat, eosdem simul componendo, primamque tui formam in illis effingendo. Libentissimè quidem omnes in te dies exigerem, atque inter tuas Niues niueus ipse fieri peroptarem; Immortalitatis saltèm colorem in te, vtpote in Cœlo, præferrem: Quod si mortem subire contingeret, ibi mori non inuitus eligerem, vbi candido possem funere decorari.

LAVS DEO.



CARMEN.

PLaudite. Iam rapidos æstiui ſyderis Ignes
Virgineæ retudere niues: Terdena pererrat
Mitior Aſtra Leo; meliori degimus æuo;
Scilicet Exquilio riguere in vertice flammæ,
Cælum vbi Diua ſuo cæleſtis fixit amori.
Aſt ego, quos niuea paulatim in ſede calores
Concipio? face qua ſubito mea pectora feruent?
Exulat hinc alijs; vni mihi linquitur æſtas:
Me ſolum fugère niues: Cæloque ſub albo
Virginis, in media [vis eſt vbi plurima ſolis]
Viuere comperior Zona. Sic clauditur vni
Sedes Exquilij fortunatiſſima Montis?
O mihi quis ſaltem Cælo dilapſa reducat
Nubila, & immodicos miſeratus temperet æſtus;
Si niuium supereſt quidquam, nec tota Latino
Immaduere iugo, aut penitus periere calore?
Quid loquor? Ecce niues; Niueus ſum totus, vt eſſe
Marmoreum videar ſignum, ni ſpiritus obſtet.
Iam mihi Sythonias alpes, glacieque ſepultos
Rhiphæos Apices, atque algida regna Gelonum
Incoluiſſe datur. Tamen ardeo, & alta medullas

Flam-

Flamma subit: Mediaque meus niue persurit ardor.
Innoua monstra ferar: transit mihi pectus in Æthnam
Aethnam perpetuos ructantem faucibus ignes;
Quæ tamen immotā niuibus, gelidisque pruinis
Scit seruare fidem, nimio ne exuberet æstu,
Concretosque furens humores flamma resoluat.
Ergo niues, Regina, tuas mihi credere fas sit:
Flammiuomos silices, mea pectora fomitis instar
Esse putem, chalybemque meum cor iure vocabo;
Quod primo tantos attactu discutit ignes.
Fædera sanxerunt in me simul ardor, & algor,
Flamma gelu, nix igne viget; niue pascitur ignis,
Et vires tacito præbent medicamina morbo.
Sed bene. Quam valeo licet æger! Virginis artes
Persensi; fictis rerum colludere formis,
Et versare pias occultà indagine fraudes.
Scilicet illa cupit; fas est agnoscere morem
Antiquum Diuæ, genito cum nuper in Orbe
Luderet ante Deum, cœtuque admixta virorum,
Delicias superi vix iam curaret Olympi.
Hic niuibus ludum reuocat. sunt omina semper
Fausta niues, puraque simul sunt Virgine dignæ.
At nix ista, reor, furtiuos occulit ignes,
Et specimen tantum retinet niuis; O ego possem
Ardentes aperire sinus! mea flamma pateret;
Quamuis illa foret niueo depicta colore.
Namque Amor æthereus, genuit quem candida Virgo,
Candidus esse cupit, niueoque incedit amictu;
Vrere quo melius mortalia pectora possit.

Hinc

Hinc illum media quondam sub sydere brumæ
Fudit Ephratoeo Genitrix enixa sub antro
In medijs niuibus: Quæ nempe crepundia magni
Prima forent pueri, & puri cunabula amoris.
At non ille suas tali sub tegmine flammas
Abdidit. Inde magis caluit, fomentaque traxit
Ardori, lucique simul; Nox visa repente
Clara dies; Nec sola faces Iudæa beatas
Sensit: In extremos incendia fudit eoos;
Et gelida Æthiopum combussit pectora regum.
Sed magis, atque magis diuino carpitur igni
Mens mea. Virginei libaui Philtron Amoris
Commixtum niuibus; Phlegeton per viscera serpit
Melleus; ambrosijs ardent præcordia flammis.
Scilicet hic animam Phariæ de more volucris
Linquere compellar; Quamuis mihi pignora flammæ
Sunt animæ melioris: Amor, nouus arte Preomethus,
Materni Solis niuea face molliter vrit
Pectora terrigenum, vitalesque imprimit auras:
Sed quid ego haud morior? cur vitam vita moratur
Infelix lætam? cur non ardore resoluor
Æthereo, & tenues iam vita recedit in auras?
Rumpite cælestes, mea stamina, rumpite Parcæ.
Parcere quid tantum iuuat, atque in fila benignas
Ferre manus? alijs seruentur Nestoris Anni,
Mi satis Antilochi; fieri nix candida possim
Totus, vt hoc saltem, liquantur membra calore.
Rumpite cælestes, mea stamina rumpite Parcæ.
Carcere conclusos angusti pectoris æstus

Cor

Cor perferre nequit, sua tentat frangere claustra
Impatiens: Tamen ista iuuant incendia, & vltro
Ardet, idemquè suæ capitur dulcedine pœnæ.
Quid faciat? rigidum ne minus sibi poscat amorem,
An ne magis sæuum? sed inexorabilis ille est.
Rumpite cœlestes mea stamina, rumpite Parcæ.
O vtinam niueis mea transfigat ille sagittis
Pectora, & inde volans secum cor ad Æthera ducat!
At fortassè caret pennis, vel sustulit ignis,
Et teneris arcum manibus versare recusat;
Aut infans iacula exhorret, vel spicula flammis
Fabricat in nostris etiam, aut sunt spicula flammæ.
Purpurea saltem velasset lumina victa
Nascenti Genitrix: incautum fallere possem,
Effugioque sibi reperiret vita salutem.
Argus Amor meus est, nec eum sopire canendo
Ipse vel Amphion posset, vel Thracius Orpheus.
Rumpite cœlestes, mea stamina, rumpite Parcæ.
Iam mihimet rapior, vitæ laxantur habenæ,
In sublime feror pennis subuectus amoris.
An me ludit Amor? vel amans mihi somnia fingo?
Felix ò nimium felix, ni vita rediret
Hæc vnquam: videor superas volitare per oras
Indigetum in morem; mortalia cuncta relinquo.
Plaudite, iam vitæ ruperunt stamina Parcæ.

LAVS DEO.

